

tu, DEVM suo fine frustrari, dum, per applicationem gratiæ, convertere intendit hominem, quem convertere immediate non vult, mediate autem non potest, ob resistantiam & rejectionem omnium mediorum salutis malitiosam: qui enim vult finem, vult etiam media, 2. Chron. XXXVI, 15. 16.

10. Qui vocatur & trahitur a Patre, infallibiliter venit ad CHRISTVM, Job. VI, 44. 45. 65. si non abit in ea, quæ retro, vers. 66.

11. Non sequitur, DEVM nihil amplius agere in fideli, quam in reprobo: nam in fideli usque ad mortem perficitur gratia DEI convertentis, ac obtinet; in reprobo autem, & culpa sua ad interitum aptato, non ita, Rom. XI, 22.

EPILOGVS.

Hæc in præsentî, meis ut starem promissis, circa Aphorismos Theologicos LVDOVICI DE DIEV fuerunt monenda, communicandaque studiosa, cum juventute quæ eos forsan habet, ac legit. Plura quidem proferri potuissent; sed modus adhibendus erat: quoniam una hac disputatione, minime spissa, modo dicti Auctoris Aphorismos Theologicos imprimis falsos & erroneos maxime, tantum refutare mecum constitueram, majori posthac veritatum Theologiarum, a DE DIEV corruptarum, plurium defensori cedens. Ceterum, si quid S. literis, si quid puræ & veræ doctrinæ, vel ulli veritati dissentaneum a me scriptum est, id minime scriptum esto.

בבלי

